

354

352

358

Et de his quaere veritatem luculentam fol. 264. B., ubi habetur
etiam locus crucifixionis et sepulturae.

348

Quam gloriosum olim fuerit templum S. sepulchri, et
de reliquiis ejus ac ornatibus.

363

Gloriosum valde fuit hoc templum olim structura et cultura,
et non solum sanctum propter sancta loca in eo conclusa,
sed propter reliquias pretiosissimas in eo reservatas. Ibi
olim erat recondita S. crux, ut patet supra fol. 111 A., et alia
insignia passionis Christi per sanctam Helenam reperta. Ibi
ostendebatur catena quaedam magna, quae Domino Jesu in
horto, dum caperetur, ad collum fuit posita, et peregrinis ad-
venientibus etiam ponebatur ad collum, et multae virtutes
fiebant per eam. Ibi etiam habebatur calix argenteus magnus,
de quo Dominus Jesus in ultima coena communicavit discipu-
los, de quo dicit: hic calix novum testamentum est in meo
sanguine, Luc. 22. Ibi etiam erat pelvis, in quo Dominus
Jesus pedes suorum discipulorum lavit in ultima coena. In
hac ecclesia fuit illud pretiosissimum sudarium, quod beatissima
virgo Maria circumligavit capiti Domini Jesu, cum de cruce
deponeretur, ut dictum est supra fol. 117. De hoc sudario
habetur Joh. XX., quod Petrus intrans in monumentum vidit
lintamina posita et sudarium, quod fuerat super caput Jesu
non cum linteaminibus positum, sed separatum involutum in
unum locum, et mansit ita jacens in sepulchro per aliquot dies
post Christi resurrectionem. Quidam autem Judaeus, volante
fama de resurrectione Christi, occulte sepulchrum Domini est
ingressus, et videns sudarium pulchre involutum tulit illud in
domum suam, quia pauper et infelix Judaeus erat. Ex ea
autem hora, qua sudarium (131A) in domum suam intulit,
benedixit Dominus domui Judaei, et factus est dives et incli-
tus. Hoc ut Judaeus perpendit, sudarium sanctum diligentis-
sime inclusit, tanquam thesaurum pretiosissimum, nec tamen
ad Christum conversus, sed inveteratus ad extrema peruenit,
et convocatis duobis filiis suis, divisit illis substantiam, dans
seniori sudarium, et juniori omnia alia. Senior autem sprevit
sudarium, quanquam pater cunctis opibus diceret esse nobilius,
et cum fratre suo mutavit, et sudarium juniori cessit, qui

22 *

Ende

Anfang